



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hermannii Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

§. III. Quantum damni & praejudicij hae conditiones Catholicae Religioni  
inferant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

perii, eorumque Successores & hæredes sub obligatione Cæsareæ, Regiæ & Principalis dignitatis, fidei & fidelitatis, in verbo veritatis, omni dolo secluso.

XVII. Ex utraque parte nec Cæsar, nec ullus Status alterum quocunque modo per se vel alios gravet, opprimat, lædat. Si quis adversus hanc Pacem alteri vim aut molestiam intulerit, Cæsar, aliqui Status id facienti non solum consilium, auxilium, patrocinium nullum præstabunt, sed contrà alteram partem auxilio & patrocinio juvabunt.

XVIII. Cameræ Imperialis Præses & Assessores, secundum hanc Pacem, non attentâ Religione, partibus Jus dicant. Neque contra hæc processum aut mandatum decernant, vel alio modo agant.

### § III.

#### *Quantum damni & præjudicij ha Conditiones Catholicæ Religionis inferant.*

ID patebit, si a prioribus verbis dictas conditiones in istud Compendium redigamus.

I. Principibus & Statibus Secularibus non solum fas est à verâ fide deficere, verùm etiam hæresin in Principatus & dominia sua introducere. art. I. Hinc orta est ea Regula: Jus Religionem introducendi, sive reformati concessum est alto, sive mero seu sublimi imperio, ut, qui istud habet, potestatem habeat Religionem mutandi & constituendi.

II. Deficiendi libertas conceditur quoque ArchiEpiscopis, Episcopis, Prælatis & aliis quibusvis Ordinis Ecclesiastici, modo Ecclesias & Beneficia cum fructibus dimittant. art. 5.

III. Eadem libertate gaudent omnes subditi Catholicorum Principum & Statuum, si velint emigrare, art. II.

IV. Apostatarum honori cavetur, tollendo omnem infamiam juris nimirum seu facti, quæ hæresin sequitur, art. 5. & II.

V. Subditi Protestantum aut Religionem illorum sequi debent,

## JUDICIUM THEOLOGICUM.

91

bent, aut exditionibus eorundem migrare, art. i. & ii. Unde rur. sus confirmatur Regula sublimis imperii.

VI. Bona Ecclesiastica ante transactionem Passavensem occupata, quæ Imperio immediatè non subsunt, neque intra neque extra judicium repeti possunt, art. 6.

VII. Ecclesiastica Jurisdictio adversus Augustanam Confessionem, ejusque ministros & Ordinationes institutas aut insti- tuendas suspensa est, art. 7.

VIII. Catholici ex bonis & redditibus intra territorium Protestantum sitis, ministeriis & scholis Lutheranis providere debent, uti antehac Catholicis, art. 8.

IX. Si controversiae Religionis non componantur in Concilio aut Comitiis, nihilominus Pax hæc absoluta, inconditio- nata & perpetua esse debet, art. 12. Eadem perpetuitas confir- mata fuit in Comitiis, Anno 1558. 1559. 1566.

X. Constitutionibus Imperii & aliis ordinationibus contra- riis [ adeoque vel maximè Pontificum & Ecclesiæ ] derogatur; neque ulla declaratio in contrarium dari, peti, acceptari potest. art. 15.

XI. Ad hanc Pacem observandam Cæsar & Status pro se & & successoribus ac hæredibus suis fidem obligarunt, art. 16,

XII. Cæsar & Status Catholici secundum Pacis hujus articulos non minus Protestantes, quam Catholicos defendere debent, imò & juvare in hæresi introducendâ, & subditis ad e- am vel emigrationem compellendis, si reniterentur. art. 17.

XIII. Denique Camera Imperialis secundum hanc Pacem non attentâ Religione Jus dicere tenetur, adeoque condemna- re v. g. subditos Catholicos Protestantum ad acceptandam Confessionem Augustanam aut emigrationem, &c. art. 16.

## §. IV.

*Qualem Amnistiam cupiant Protestantes.*

M 2

Amni-

